

XXIII.

Historia observationis Co-

metæ 1702 Ex

*J. Henr. Hoffmanni,*

*Ephemeridibus Anni 1703. excerpta.*

**M**ense Aprili anni 1702 novus in Cælo Cometa hic Berolini animadversus est, confuso lumine prorsus instar nubis, & absque caudâ, magnitudine suâ omnes primi honoris fixas superans, quem tribus mihi tantum vicibus ob inconstantem aerem, & minus commodum locum observare licuit; cujus loca inter proximè circumstantes fixas hic subijcere placuit Fig. 65  
65. Prima vice, scil. die Solis 23 Aprilis hora 10 vespertina Cometam conspexi propè stellulam Opiuchi, à Bayero litera *f* signatam, & quidem ita, ut angulum rectum cum capite Herculis & Opiuchi constitueret. Proxime sequenti die Martis, videlicet 25. Aprilis idem non procul aberat à Stellula  $\lambda$  in dextro brachio Opiuchi; & infrequenti die Lunæ, 1. scil. Maji ob parvitatem ejusdem nudis oculis penè invisibilis erat, telescopio tamen eundem propè stellam  $\mu$  serpentis hærentem deprehendi, qui demum planè apparere desit.

XXIV.

*N. Hartsoekeri.*

Nova methodus utendi vel

maximis vitris'objectivis.

**Q**Uando vitra objectiva excedunt longitudinem 50. aut 60. pedum, difficillimus est tuborum usus, & flante vel minimo vento prorsus inutiles sunt; Si autem excedunt 80. aut 100 pedes, aurâ etiam planè tranquillâ tuborum usus nullus est. Ut itaque ejusmodi vitrum commodo usui esse possit, includatur quadrato ligneo basi imposito, in quâ vitrum ita erigatur

ut radii planetæ aut Syderis observandi perpendiculariter vitro incidant, quod facillimè facies contemplan-do astrum per tubum simplicem quadrato ad angulos rectos applicatum. Vitrum isto modo directum elevari potest ad altitudinem iustam beneficio arboris, muri, vel tecti anguli, cui applicabis lignum excavatum, quod commodè capiat basin cui quadratum innititur. Hâc methodo absque ullâ difficultate Lunam observabis vel maximis vitris, summa vero difficultas occurreret observandi minora Sydera absque methodo à mer-  
 pta; nam species quam sydera in aere sui formant, tam est sub-  
 tilis & exigua, ut vix illam quis attingere & oculo consequi possit, &  
 deprehensa sapissimè evadit antequam vitrum oculare sit oculo ad-  
 motum, ut itaque hæc difficultas tollatur, oppone vitrum læviga-  
 tum & nondum politum foco vitri objectivi, nam specie seu imagi-  
 ne astri in vitro lævigato se exprimente, ipsum astrum vitro oculari  
 nullo negotio attingitur & tenetur. Sydere hoc modo prehenso,  
 vitrum oculare, amoto vitro lævigato, imponatur machinæ, quam ad  
 astri cursum flectes & diriges, atque ita satis longo intervallo ad lu-  
 bitum Sydus lustrabis,

XXV.

## Ejusdem Methodus facilis ob-

ducendi Stanno omnis generis vitra concava & convexa ad  
 usum Catoptricum.

**P**Atinæ, in quâ vitrum politum est, accomoda Stanni folium  
 vitro obducendo aliquantulum largius. Folio Stanni mer-  
 curio macerato tantum mercurii superfunde, quantum vitrum  
 obducendum requirit. Deinde folium & superfusum mer-  
 curium panno, pannum vitro obducendo tege atque ita comprime, ut  
 pauculum inter pannum & Stanni folium restet spatium & folium  
 undique mercurio repletum sit. - Subtrahe levi manu pannum, vi-  
 trumque omni quo potes conatu stanni folio imprime, impressum a-  
 liquot horis intactum sinas & superfluum mercurium sensim elabi fa-  
 cias! & habebis vitrum nitidissimè obductum,